



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**DE VITA || ET MORIBVS IGNA-||TII LOIOLAE,|| QVI
SOCIETATEM IESV || fundauit, Libri III.|| Auctore Ioanne
Petro Maffeo, pres-||bytero Societatis eiusdem.|| Ex
auctoritate superiorum.||**

Maffei, Giovanni Pietro

Köln, 1585

VD16 M 110

E graui morbo periclitatur. Cap. IX.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68259](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68259)

bentius atque securius, quòd commun-
nicandis ijs, quæ à Domino acceperat,
nihil interim sibi religionis ac spiritus
deperire sentiret. Nec solùm venien-
tes ad se benigno excipiebat alloquio;
sed etiam inuitatus interdum ab alijs
ad prandium, minime recusabat acce-
dere; nimirum eo cõsilio, vt ex re & ex
tempore sumpta occasione, qui se in
Dei gratiã terrestri pauissent cibo, eos-
dem ipse vicissim spiritualibus epulis,
& opportuna quapiam adhortatione
reficeret. Atque in hunc ferè modum
adiuuante Domino permultos ad ar-
ctam salutis semitam, à via lata & spa-
tiosa traduxit.

E graui morbo periclitatur.

Cap. I X.

SED in eiusmodi curam dum incū-
bit ardentius, nec tamen interea fe-
re quidquam de assiduitate precandi,
ac de quotidiana vitæ asperitate dimi-
nuit, morbum ex ingenti labore con-
traxit adeo periculosum & grauem, vt
sæuiente atrociter feбри, proxime ad
mortem accesserit. quo tempore & op-

D pidi

pidi magistratus periculo viri permoti, publicè diuersorium illi curarunt necessarijs rebus instructum; & præter aliam amicorum turbam, honestæ matronæ, quæ vitandæ pestilentia causa Barcinone se se eò receperât, certatim ægrotanti assidere, & nocturnas agere excubias, perinde quasi in vnus vita salus omnium verteretur. Atque his populi officijs, ac pia sedulitate bonorū, creptus è præsentis vitæ discrimine, in id ipsum iterum ac tertio recidit ob eam causam, quòd nondum planè confirmatis viribus (blandimenta videlicet carnis, & veteris hominis malitiam verit⁹) præpropere festinatione ad pristinas occupationes corporis animique redierat: quarum pondere oppressus, denique didicit ipse, alijsque deinde præcipere solitus est, imbecilla valitudine minuendos labores, curandūque tali tempore, vt quantum de consuetis exercitationibus infirmitas demat, tantū ad Dei gloriam, & proximorum ædificationem æquitas animi & exemplum Christianæ fortitudinis addat. Vetabat idem etiam corpus debito

bito somno ciboque fraudari, multis
 eo tempore doctus experimentis, vt
 moderata sobrietate vegetatur animus,
 sic immoderata vigilia vel inedia vires
 adeo frangi ac debilitari, vt mens ea-
 rum ministerio destituta vix munere
 suo fungi, aut ad contemplationem
 rerum diuinarum possit exurgere.
 Vexatus igitur, vt dicebamus, diutur-
 na & periculosa aegritudine, demum
 ita conualuit, vt ex reliquijs morbi
 dolore stomachi molestissimo subin-
 de cruciaretur: quapropter calceos in-
 duere, & panni crassioris tunica cine-
 rea, & capitis tegumento contra saui-
 tiam hyemis munire sese piorum ho-
 minum benignitate precibusque co-
 actus est.

De inanis gloria vitio superato.
Cap. X.

Accessit ad illa corporis aegrotan-
 tis incommoda, grauis etiam a-
 nimi cruciatus, ab importuna quadam
 inanis gloriae tentatione profectus.
 Dum enim ingrauescente morbo con-
 scientiam suam diligentius excutit,

D 2 seq;